



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita P. Balthassaris Alvarez, Societatis Iesv Religiosi

Puente, Luis de la

Coloniae Agrippinae, 1616

Cap. XXXVII. Fructus quem P. Balthassar in quibusdam præcipuis personis fecit, quarum vni duas præclaras dedit meditationes de Prouidentia diuina

urn:nbn:de:hbz:466:1-43347

CAPVT XXXVII.

FRVCTVS QVEMP. BALTHAS-
sar in quibusdam precipuis personis fecit,
quarum uni duas praeclaras de-
dit meditationes de Provi-
dentia diuina.



ETIAM SI Villa-Garcia Op-
 pidum sit paruum, potuit ta-
 men P. Balthassar suam chari-
 tatem etiam ibi in proximos
 ostendere, & exercere sua ta-
 lenta ad eos lucrandos: &
 quamuis consueuisset agere cū

personis nobilibus, nouit tamen etiam plebeis &
 agricolis se accommodare, humaniter valde cum
 eis agendo, ac etiam diutius hærendo, ostendens
 vultum hilarem ac beneuolum, quando ipsum
 conueniebant, quasi aliud non haberet, quod age-
 ret: quam ob rem magni ab illis habebatur, & amaba-
 tur: implebat enim illud Apostoli: *Gracis & bar-* 2 Rom. 1. 14.
baris, sapientibus & insipientibus debitor sum ad
 prædicandum & docendum omnes Euangelium
 Dei, sed multo magis id præstitit cum præcipuis
 personis tam sæcularibus, quàm Ecclesiasticis &
 Religiosis variorum Ordinum, venientibus ad
 illum angelum, vt de rebus animarum suarum
 cum ipso conferrent; & octo, aut quindecim dies
 sese ad orationem & alia spiritualia exercitia re-
 ciperent,

He 3

ciperent,

ciperent, directionem ab ipso acceptam sequentes. Inter alios duo fuerunt insigniores & frequentiores, D. Franciscus Reinosus tunc Abbas Vfilliensis, qui & in Ecclesia Palatina dignitatem habebat, & postea factus est Episcopus Cordubensis: cuius aliqua mentio facta est capite 16. & eius ex Fratre Nepos Hieronymus Reinosus, eiusdem Ecclesiae Canonicus, vir valde exemplaris & Zelosus, qui alios Canonicos & Portionarios eiusdem Ecclesiae nunc hos, nunc illos, secum ducebat, ut Exercitijs spiritualibus, & talis Magistri doctrina fruereutur: id quod per multos postea annos persecuti sunt, exitimulante eos Palatinus feruens quidam Societatis Pater Andreas Affensius, qui diu egerat cum Patre Balthassare de materia Orationis. Qui referre solebat, se aliquando valde pusillo fuisse corde, nec ausum fuisse motionem spiritus sequi, à quo interne sentiebat se ad res maiores permoueri: cumque rem cum P. Balthassare contulisset; ipsum deceptionem illam retexisse, & animasse, ut eam motionem sequeretur, tanquam apertè spiritus sancti: & hoc ratione adeò sibi & alijs profecisse; ut cum eorum aliàs haberet naturale talentum: quia tamen valde aptum erat per gratiam Dei: fiebat, ut viri valde graues & præcipui illius Ecclesiae, & Ciuitatis eum reuererentur: nam (ut quidam eorum mihi retulit) sancta sua sinceritate fiebat dominus cordium, & omnes prudentibus eius consilijs parebant; certoque tempore conferebatur cum illis Villa-Gartiam, ut exercitia spiritualia illis traderet, & simul faceret. Confluebant quoque Villa-Gartiam viri seculares valde illustres, quales

quales erant Marchio Veladius, de quo supra; D. Ignatius Fernandus Velascus Comeftabilis Caftillia, & gener eius D. Francifcus Borgius Marchio Lombaius, & poftea Dux Gandia, qui tunc habitabant Villalpandi, tribus tantum inde miliaribus: quò P. Balthaffar fæpius fe conferebat, id petente D. Anna Aragonia Duciffa Frias, Societati noftre valde addicta; quæ cupiebat, Comeftabilem virum fuum etiam effe addictum, & confiteri, fuæque negocia cum aliquo ex noftis communicare: quod eo vſque non fecerat. Sed ftatim atque P. Balthaffarem nouit, tantum erga eum amorem concepit, vt res omnes fuas in eius manibus poneret. confeffus eft illi generaliter, & ab eo accepit vitæ instituendæ rationem: quare aliquoties Villa-Gartiam fe conferebat ſolùm ad colloquendum, & communicandum res fuas cum illo: & ita eum reuerabatur, vt in eius confpectu non auderet loqui de rebus de quibus in ſæculo agitur; ſed potius ipſe delectabatur valde, cum eum de Deo loquentem audiebat. Marchio Lombaius etiam eò ſe contulit, vt inquietè faceret exercitia ſpiritualia, quæ Pater Balthaffar illi tradebat; & permittèbat eum intereſſe Exhortationibus & Conferentijs, quas ad Nouitios habebat; & vt in ipſis Conferentijs diceret ſuam ſententiam ſicut alij, quando ordo ad ipſum veniebat. Finitis Exercitijs, cum eum videret ad eò mutatum ex refectione priorum opinionum ac deceptionum, fecit P. vt omnes ſimul Nouitios in Aula Collegij, vbi ad exhortationes audiendas conueniebant, ille alloqueretur, & ageret de refectione deceptionis circa

res huius mundi; & quàm rectè ipsi fecissent, quòd statum elegissent religiosum. Et sæpe alias venit Villa-gartiam, eo solùm nomine, vt cum Patre Balthassare negocia sua conferret, eiusque de eis iudicium sequeretur.

§. I.

SED vberiore adhuc fructum fecit, quoties Villalpandum ad Ducissam de Frias se contulit, duasque eius filias D. Iohannam Velascam Marchionissam Lombaïam, & postea Ducissam Gandiensem; Et D. Agnetem Velascam, quæ postea fuit Comitissa Montis Regij; quibus & multis alijs harum Dominarum matronis magnum attulit feruorem. Ipsa Ducissa dudum erat exercitijs Orationis ac Deuotionis, omnique virtuti addicta: quam tamen P. Balthassar valde in eisdem perfecit, docens, quem in finem essent ea dirigenda, iuxta maiorem eius necessitatem vt scilicet integram & absolutam haberet resignationem & conformitatē cum voluntate diuina in rebus omnibus: volens scilicet, & cum animi delectatione amplectens, quidquid Deus vellet, & eidem placeret: reiectis anxietatibus & nimijs tristitijs, quæ ob aduersos euentus oriri solent, nisi hæc adsit conformitas. Et quoniam hæc Domina valde optabat, eam habere perfectè; oppugnabatur verò à multis importunis curis, quæ illam inquietam reddebant, tradidit ei P. Balthassar duas meditationes scriptas de Prouidentia diuina: vt in eis sese exerceret. In quibus P. non solum spiritum suum aperuit

sed cognitionem etiam ac zelum, eorum, quorum curam in se recipiebat: ac propterea eas hic subiiciam.

MEDITATIO prima sic habet: constituta in conspectu Christi D.N. eiusque Curiae coelestis, coram cuius Maiestate geritur, quid quid tibi euenit; & qui suos fideles plus diligit, quam ipsimet se ipsos diligant. tria haec puncta perpendes.

PRIMUM, est ex S. Dorotheo: ut fides nostra valde excitetur ad apprehendendum, quod nullus in rebus humanis euentus adeo ingratus, turbatus & qui nos premat, euenire nobis possit absque Providentia diuina; ubi autem Dei Providentia est, omne etiam bonum adest, & omnia ordinantur ad animae bonum. Quare in omni genere Euentuum molestorum dices tibi ipsi, paupertas, & exiguae facultates temporales, res est valde ingrata ei, qui ratione sui Status & amplitudinis tenetur ad grauiora onera portanda: at paupertas cum Dei Providentia coniuncta, magnam procul dubio, & securam vitam adfert. Quod alij tui obliuiscantur, contemnant, & res tuae inuertantur, magna est anxietas, & pressura: eadem tamen sub directione ac Providentia Domini nostri, magnum procul dubio thesaurum continet ei, qui scit in tuto illum collocare.

SECUNDUM punctum est: hoc supposito, quod quicquid in hac vita merito potest nobis sollicitudinem adferre, id fit, quod spectat ad animam, eiusque maiorem profectum; & quod pertinet ad vitam corporis eiusque sustentationem. Circa utrumque horum necesse est valde bene perpendere habere Christi Domini nostri verba,

Et 5 quibus

„ quibus æterni sui Patris erga nos prouidentia
 „ stendit, quæ verba, nostris cordibus infixæ valde
 „ habere debemus, tanquam certa pignora prouidentia
 „ eius, vt rectè intelligamus ac deducamus
 „ in opus quid sit nobis faciendum, quando aliqua
 „ harum vel aliarum rerum nobis deest. Dicit
 „ que Christus Dominus noster apud sanctum Mat-
 „ theum: *a orantes* (in rebus scilicet animæ) *nolite*
 a Matt. 6. „ *multum loqui sicut Ethnici. putant enim quid in*
 7. 25. „ *multiloquio suo exaudiantur, quasi vi suarum ra-*
 „ *tionum, velint ipsum Deum conuincere & vige-*
 „ *re. Nolite ergo assimilari eis. Scit enim Pater ve-*
 „ *ster, quid opus sit vobis, antequam petatis eum. Nisi*
 „ *soliciti sitis dicentes: quid manducabimus, aut bi-*
 „ *bemus, aut quo operiemur: hæc enim omnia gentes*
 „ *inquirunt. Scit enim Pater vester, quia his omnibus*
 „ *indigetis.* Perpendens ergo hæc verba facias in te
 „ ipsam, reflexionem; & ex sollicitudine quam tibi
 „ adferunt filij tui, maximè, quibus non est adhuc
 „ prospectum, conijcere licebit, quam solida hæc
 „ cura inerit Deo erga suos: quare cum ipsi sit cura
 „ de eis, tutò poterunt ipsi sollicitudinè, quam de se
 „ ipsis habent, deponere, & in ipsum Deum rejice-
 „ re, vt S. Petrus fieri iussit dicens: *b omnem sollicitu-*
 b 1. Pet. 5. „ *dinem vestram projicite in eum: quoniam ipsi cura*
 7. „ *est de vobis.*
 „ TERTIVM punctum erit, considerare: eum,
 „ qui securos nos reddit de hac æterni Patris erga
 „ nos prouidentia, non esse quemcunq; hominem;
 „ sed ipsummet eius filium naturalem, Christum
 „ Dominum, ac Redemptorem nostrum, qui opti-
 „ mè nouit, quid in eius pectore lateat; illudq; no-
 „ bis ad magnum nostrum solatium, manifestat, in-
 „ tail-

ta illud, quod scriptum est : *e vnigenitu filius*, ^{“c Ioã. 1. 18.}
qui est in sinu patris, ipse enarrauit. Cum quo in-
 stituendum est colloquium & orandum, vt cum
 ipse fidei nostræ det intellectum : eundem etiam
 tibi det, quando & sicut magis expediet, circa fidē
 eius prouidentia: vt quemadmodum per eam to-
 tum bonum tuum dirigis: ita scias solatium acci-
 pere ex quocunq; eius euentu; eumq; tanquam de
 manu eius æstimare, & ex eo proficere. Hic è verò
 impones, dicta semel precatōne Dominica, in
 qua dulcis hæc & paterna prouidentia pulchrè
 depicta continetur.

Hæc prima fuit meditatio, quam Pater Bal-
 thassar piæ illi Dominæ dedit. Sed referam hic
 sancti huius viri humilitatem, quam ostendebat,
 in quacunque occasione occurrente, accipiendi
 & audiendi aliorum iudicium & consilium, et-
 iam inferiorum. Nam cum ipse hæc scribe-
 ret, ingressus ego sum, vt meæ conscientia
 rationem ei redderem, (eram enim in ter-
 tia probatione) dixitque mihi: se scribere tria
 prædicta puncta de Prouidentia diuina, vt mit-
 teret ad illam Dominam afflictam. Cui ego di-
 xi, me tria alia valde apta legisse in quodam
 Dialogo Sanctæ Catharinæ Senensis, de perfe-
 ctione, quæ ipsemet D e v s illi tradiderat.
 Statim ille magna humilitate (qua non sum
 parum ædificatus) ea petijt à me, &
 misit ad illam Dominam, in
 hunc modum.

(..)

§. II. AL-

§. II.

ALTERA meditatio, inquit, habet tria puncta, ex quadam lectione Christi D. N. ad sanctam Catharinam Senensem, in qua Apparitione, vt sciret in bonitate sentire de varijs euentibus, quæ in rebus omnibus eueniunt, tanquam à sua prouidentia constitutis, ac directis, & consolari ac proficere ex eis.

PRIMUM PUNCTUM est de eius Omnipotentia. Aduerte, filia, me Deum tuum gloriosissimum, qui te, vt beatitudine mea fruereris, condidit; adeo esse potentem, vt nihil in mundo agatur, quod non sit à me ita præscriptum, aut permittum, vt ita eueniat. SECUNDUM est de eius Sapientia: ego Deus tuus sapientia sum altissima, cui nihil res absconditur, neque est extra meam prouidentiam: ita vt à nulla calliditate decipi, nec illorum reore perturbari possim. Et vt aliquid intelligas de meæ sapientiæ vi; scias, me ex malo culpæ & poenæ maius educere bonum, quàm fuerit ipsum malum. TERTIUM PUNCTUM est de eius Fidelitate & bonitate: hoc vellem, vt cogites, tibi persuadeas: me Deum tuum non minus esse bonum, quàm potentem & sapientem: ac prouidentem non posse velle, nisi quod tibi alijsq; est bonum, utile, ac salutare; nec aliquid mali à me prodire posse: & quemadmodum liberè hominem condidisti, ita inestimabiliter eum diligo. Ex his intelligas tribulationes, opprobria, cruciatus, & reliqua omnia aduersa, nullam aliam ob causam, me ita disponente, euenire, nisi in vestram utilitatem, ita vt per idem, quod vobis malum videtur, corrigamini.

gami, & ad virtutem ducamini: qua ad verū & supremum bonū vobis ignotum peruenitur. Hinc etiam intelliges, me Deum tuū scire posse, ac vel le bonum tuum, plus quam tu scias, possis aut velis. Hanc lectionem prælegit Christus Dominus noster Sanctæ Catharinæ, & in ea V. D. & omnibus.

His meditationibus & alijs similibus, quas proponebat ijs, cum quibus agebat, illorum necessitati, & capacitati accommodatas, valde eos in virtute promouebat: quemadmodum cum prædicta hac Domina fecit: quæ tantum erga eum amorem ac reuerentiam concepit, vt in eius conspectu esset tanquam aliqua infans; ac dicere solebat, cum alij Patres Societatis, quantumuis graues, Visalpandum veniebant, ac de rebus diuinis loquebantur: qui illos audiebant, adhuc poterant aliquid, & ipsi dicere, & quasi in partem venire sermonis de illo argumento: at quando P. Balthassar loquebatur, cum tanta Superioritate & granditate sermonis id faciebat, vt omnes, ipso loquente, tacerent, audientes, quasi pueri in eius comparatione. Et quando literas ad ipsum scribebat, ponebat in Supercriptione: Domino meo, Patri, Magistro Balthassari Aluario è Societate Iesu Patri meo.

EODEM amore & reuerentia eum prosequerentur duæ eiusdem Dominae filia, quas instruxit, & excitauit, vt aliquid temporis darent mentali Orationi; & amplecterentur aliqua mortificationis exercitia: persuasitque eis, vt eleemosynam, quæ quotidie pauperibus dabatur, ipsæ manu propria traderent; & posito antipendio super vestes

vestes preciosas, distribuere ex olla ad id præparata, quod singulis esset dandum: & interim Pater ipse doctrinam Christianam pauperes illos docebat, & postea dabatur illis ollula, & scutella cum suis portionibus. Et quadam vigilia Corporis Domini, ob reuerentiam sacratissimi Sacramenti, conuenerunt illæ ad præparandum ipsum templum, quarum duæ totum purgarunt, tertia lampadem accommodauit, & vltima ornauit altaria, præsentibus aliquot famulis, & Patre vno Societatis ad portam, ne alij, dum illæ suam explebant deuotionem, ingrederentur. Solebat præterea ipse illas dexterè ac prudenter mortificare, prolatis ad eam rem aliquibus verbis, quarum vna natu minor dicebat, nihil vnquam adeò ipsam mortificasse in vita sua, atque ipse Pater, verbis quibusdam, quæ illi quidem decidere, sed cor tamen suum penetrare videbantur. Sed cum videret, id fieri in bonum suum, etiamsi grauitè ipsa premeretur, non tamen propterea remittebat aliquid de amore & reuerentia erga illum: sed tantam potius fidem ad eius verba habebat, vt quoties in aliqua pressura constitutam se videret, statim peteret literas, quas à P. Balthassare habebat, quibus ad locum doloris appositis, leuamen statim sentiebat.

Q V I D D A M etiam notabile euenit proficiscentibus hisce Dominabus cum matre sua Villalpando Vallis-Oletum, & in curru gynæcei vehebatur simul Comitula de Haro, tantum quadrima, vt se cum illis recrearet. in descensu autem montis Villanublino irritati equi illum

*D. Agnes
Velasca Co-
mitissa Mō-
tisregij.*

illum currum trahentes, adeo furiosè cur-
rebant, vt præcesserint reliquos currus, & le-
stias, quibus illæ Dominæ vehebantur; & ita
Aurigam excusserunt, vt nullus ad eos acce-
dere auderet. Omnes famuli pedites, & equi-
tes videntes ingens periculum, quod immine-
bat, nec posse remedium vllum adhiberi, ve-
hementer omnes turbati sunt: accidit autem,
vt Pater Balthasar tunc temporis per eandem
viam propè ipsum currum ambularet, & vi-
dens periculum, recurrit ad orationem, sup-
plex Deum orans, ne illæ personæ perirent. Et
placuit Maiestati diuinæ, illum exaudire, &
ita constiterunt Equi, vbi iam iam fuissent præ-
cipitati, cum certo periculo, quod fuissent
omnes contriti & contracti, præterea, quæ
illo curru vehebantur, etiam si grauiter con-
citerentur, vt facillè potest intelligi, nullum
tamen detrimentum senserunt. Omnes ma-
nifesto miraculo tribuerunt, quod **D E V S**
per Orationem sancti huius Patris edidisset,
qui mox etiam ad gratias **D E O** a-
gendas se conuertit pro tan-
to beneficio illis
collato.

